

10248

26

Q. D. B. V.

JUSJURANDUM  
IPSO IURE  
NULLUM

1694 7

*Dissertatione Morali*

Sub PRÆSIDIO

HENRICI ERNESTI Seebachs/  
Jur. Utr. Licent.

*In Auditorio Majori*

Anno recuperatæ salutis M. DC. XCIV.

*Die 4. Januar-April.*

Placido Eruditorum examini  
sistit

CUNO FRIEDERICH de Schierstedt  
Nob. Magdeburg.

---

VVITTEBERGÆ,  
Prelo GODERITSCHIANO



LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY

OF LEIPZIG

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY

OF LEIPZIG

LIBRARY

1. 1870

4

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY





F. N. F.

Th. I.

**S**pecies jurisjurandi, quod ipso jure non subsistit, enucleaturum oportet prius facillioris intellectus gratia discutere verborum corticem. Derivatur autem jusjurandum à Jove & voce oro, cum jus quasi Jovis os, & jurans quasi Jovem omnis dicatur, idque ideo, quod hunc olim juraturus asserti sui testem invocaverit. *Vid. Becman. de Orig. Lat. lingvæ Conf. Frantzkius ad ff. tit. de jurejurando. num. 4.*

Th. II.

Vocatur jusjurandum alias etiam juramentum, quod vocabulum uti in Cod. Justin. sæpissime quidem, in Pandectis verò bis tantum, *videlicet in L. 34. §. 5. ff. de jurejurando & in L. 25. §. 3. ff. de probat. Conf. Meierus in colleg. Argent. tit. de jurejurando th. 2. & apud alios probatæ latinitatis Autores vix ac ne vix quidem occurrit, ita num Latium agnoscat patriam, à nonnullis non immerito dubitatur. Vid. Vorstius de Latinit. merito suspect. cap. 22. Conf. Barthius libr. 32. Advers. cap. 1.* Interdum pro jurejurando veteres simpliciter posuisse *jurandum*, satis elucescit ex Plaut. *Cistel. Act. 2. sc. 1. vers. 26.* ubi inter alia, *abi, inquit, quærere, ubi jurando tuo satis sit subsidii.* et ex Taciti Annalium Libr. 4. ubi disertè dicit: *Tanta contentione, & ut jurando obstringeret, e Republica id esse.* Præterea jusjurandum etiam voce religionis indigitatur, ut fit in L. fin. Cod. de Rebus credit. L. fin. Cod. de fideicommiss. Auth. *Quod obtinet.* Cod. de probat. Nec raro tam Jctis, quam aliis scriptoribus *sacramentum* dicitur, forte

A

forte

deo, quod obligatio religiosa sit, aut olim sacris vel arcanis quibusdam peractum fuerit ceremoniis. *Vid. Cicero Libr. 4 famil. Epistolar. 15. Horat Libr. 2. carm. Od. 17. Calvin. Lexicon Jurid sub voce: Sacramentum.* Unde & Conjuratores sacramentalium nomine veniunt *1. Feud. 10. § 26. §. 1.* quorum sacramenta olim præstabantur ita, ut singuli manus suas supra capsam ponerent, ille verò, quem causa concernebat, jurisjurandi verba solus proferret, & reliquorum manibus suam imponeret, ut sic Deus vel capsæ inclusæ reliquæ ipsum cæterorumque manus adjuvent, quod justam causam habeat & non culpabilem. *Vid. Calv. Lex. Jurid. sub voce: sacramentales.*

### Th. III.

Verum relictis hisce verborum involucris ad rem ipsam propius accedamus, consideraturi casus, quibus juramentum ipso jure nullum est. Quemadmodum autem jusjurandum est religiosa rei alicujus asseveratio, in cujus majorem fidem Deus ipse, ut vindex & ultor perfidiæ, invocatur; ita nullitas ejus ex triplici potissimum fonte promanat, nimirum (1) ex defectu in *persona jurantis*, (2) ex inhabilitate *objecti*, & denique (3) ex neglectu ipsius *formæ*. De quibus singulis ordine nunc dispiciendum erit.

### Th. IV.

Quod ergo personam jurantis attinet, hujus juramentum tam ob defectum intellectus & voluntatis, quam ob defectum juris & facultatis irritum esse potest. Et quidem ob priorem defectum toties jusjurandum invalidum censetur, quoties in jurante aut immaturum judicium, aut animus non satis sui compos atque deliberatus, aut tandem ejus, de quo juratum, est ignorantia adfuisse deprehenditur. *Conf. Grot. de J. B. & P. L. 2. Cap. 13. thes. 2. seqq. Balduin de Cas. conscient. L. 2. C. 9. Cas. 5. pr.* Sicuti e contrario ob posteriorem defectum jusjurandum tunc ipso jure nullum est, quando persona jurans liberam de rebus suis disponendi facultatem non habuit, aut contra voluntatem superioris, ex cujus arbitrio alias inferiorum

feriorum actus dependent, juramentum prestatit. Conf. Grot. cit. loco th. 20. Amel. de conscient. Libr 4. Cap. 22. §. 35.

Th. V.

Ex quibus fundamentis breviter ita præmissis nunc facile elucescit, quod Primò ob defectum judicii non tantum furiosi & mente capti, *Balduin. cit. cap. 9. Cas. 13. in fin. Setser. de juram. L. 1. cap. 4. n. 5.* verum etiam infantis juramentum plane nullius momenti sit. Quod quidem de omnibus impuberibus, etiam infantia majoribus, indistincte asserunt *Balduinus V. Conf. 96. n. 2.* & *Jesuita Busenbai. in Theologia morali L. 3. tr. 2. C. 3. dub. 6. n. 1.* rectius tamen alii tantum ad illos restringunt, qui actum jurandi nondum intelligunt, adeoque nondum doli capaces sunt. *Vid. Cavall. Commun. opin. q. 12. Covarruv. in C. Quamvis p. 3. §. 1. n. 5. & Suarez. lib. 1. de juram. Cap. 14.* Cum enim illi impuberes, in quibus jam quædam judicii maturitas deprehenditur, de jure naturæ utique validè paciscantur *Grot. Libr. 2. C. 11. th. 5. n. 1. & 2. & L. 3. C. 23. th. 3.* nil vetat, quò minus & eorundem sacramenta jure saltim naturæ & gentium bene subsistant. In genere enim *Quicumque naturaliter obligatur, illius etiam jusjurandum per se firmum ipsoque jure validum est.* Tametsi vero ista judicii maturitas pro diversitate regionum diverso etiam annorum numero definiri soleat, *Vid. L. 1. §. 2. ff. de Minor. Gramond. L. 1. pag. 92. Limn. notit. Regn. Franc. L. 1. C. 8. p. 211. Thuan. L. 65. p. 221. Lotcen. Lib. 9. Histor. Svec. p. 370. Aur. Bull. C. 7. §. 4. ibiq. Limn. obs. 28. Vethem. ad Grot. L. 2. C. 11. th. 5. n. 2.* melius tamen, cum alii aliis citius sapiant, judicis arbitrio ex quotidianis actibus, eorumque circumstantiis determinanda relinquatur. *Grot. cit. l. Carpz. in prax. crim. q. 143. n. 33. Clasen. ad Constit. Crim. Carol. V. art. 164. p. m. 507. lit. b.* Cæterum quod superius de furioso & impubere dictum, neutiquam ad prodigum civiliter talem trahendum est. Quantumvis enim de jure Civili illis æquiparetur. *L. 1. ff. de Curat. furios.* attamen hoc tantum ob Principis prohibitionem quoad alienationem & obligationem in foro externo seu foro soli



procedit, non autem quoad obligationem in foro interno seu conscientiae: quippe obligari eundem naturaliter vel inde constare potest, quod partim adhuc habeat suum iudicium, quale in furioso atque impubere nequiquam adest; partim, quod in utilitatem suam validè semper contrahere queat, quod in furioso & quandoque in impubere iterum secus. §. 8. & 10. *Instit. de Inut. stipulat. ibiqz DD.* partim quod à supplicio & pœna delictorum, quæ dolum atque sufficiens iudicium præsupponunt, regulariter &, nisi forte delirium accesserit, non sit immunis; *Vid. Struv. Exerc. 17. th. 15.*

#### Th. VI.

*Deinde* propter defectum animi sui non compotis aut non satis deliberati nulla vis inest iurijurando in extremo gradu ebrii. *Balduin. Cas. Conf. L. 2. C. 9. C. 13. circa fin.* Quando enim ebrietas tanta est, ut mentis exilium inducat, omnemque iudicandi facultatem sepeliat, homo ne quidem stipulari, multo minus se obligare potest, *Manz. ad §. 8. Instit. de Inut. stipul. n. 4.* Aliud verò statuendum in illo, qui vehementi tantum amoris oestro percitus puellæ temerè quid promisit. *Setser de juram. L. 1. C. 8.* quod verum esse existimo, nisi quid contra omnem rationem promissum fuerit, quippe quo casu amatorem furioso similem (*vid. Novell. 74. C. 4.*) ne quidem validè contrahere posse, statuit *Schraderus ad §. 8. Inst. de Inut. stipulat. n. 30.* Nam, ut generaliter dixerim, *quæ animi perturbatio rationis usum penitus intervertit, juramentum ex illa profectum irritum facit & ipso jure nullum.* Unde tandem, nec ejus sacramentum subsistere, patet, qui in re licita occupatus iusta quidem ex causa nimium vehementi tamen iræ furore extra se raptus jurantia verba evomuit. *Setser cit. loc. C. 7. Everhard. in loc. legal. a vi juramenti n. 83.* imprimis cum nec votum iracundiæ calore emissum obliget. *Everhard cit. loc.* Omnium autem minimè is jurasse censetur, qui tantum historice seu recitative verba jurantia protulit. *Grot. L. 2. C. 13. th. 2. ibiqz Dn. Osiand.* cum e contrario utique juramento teneatur, qui eo casu, ubi  
jus



jus exigendi juramentum habens illud detulit, deliberatò  
verba jurantia protulit, sed absque intentione jurandi aut a-  
nimo se obligandi, vel quidem cum intentione jurandi atque  
se obligandi, sed sine animo implendi. Quia enim obligatio  
est effectus necessarius juramenti, tenetur jurans propter a-  
ctum externum præstitum, ne nomen Domini in vanum  
sumtum sit, id, quod juravit, præstare. *Grot. cit. loc. th. 3. num. 1.*  
*ibiq; Beat Dn. Ziegl.*

### Th. VII.

Sequitur tertio rei in juramentum deductæ ignorantia,  
quæ si simplex est, nudum scientiæ defectum involvit, alias  
verò, si insuper rem aliam, quam revera est, esse existimat, in  
errorem degenerat, qui non semper solius errantis culpa, sed  
sæpius dolo alterius inducitur. Ut verò, num & quousque  
propter hæc tria juramentum vi obligandi destituatur, tantò  
facilius innotescat, lubet hanc generalem fundamenti loco  
supponere regulam: *Quocunque casu ignorantis, errantis aut do-  
lo decepti pactum, illo etiam hujus juramentum ipso jure nullum est.*  
Quando autem illud contingere soleat, nunc ordine atque  
distincte dispiciendum. Et quidem errorem quod attinet,  
qui nunquam non ignorantiam includit, iste, juris civilis  
subtilitatibus rejectis, & sola juris naturalis simplicitate in-  
specta, commodè satis distingvitur in *Errorem circa substantia-*  
*lia* seu ea, sine quibus actus subsistere nequit: & *Er-*  
*rorem circa Accidentalialia* seu illa, sine quibus etiam actus subsi-  
stere potest. Ille pactioes eapropter vitiat, quia intellectus  
in falso objecto loco veri occupatus fuit, in quod proinde  
non consensimus. Et ideo matrimonium Jacobi cum Lea  
naturaliter nullum erat, cum error in persona maximè sub-  
stantialis sit. *Layman in Theolog. moral. Tom. 11. Lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 2.*  
*n. 1.* Hic autem, videlicet error circa *Accidentalialia* conventio-  
nes non irritas reddit, ad evitandam multitudinem litium,  
quæ alias exituræ essent. Atque hinc error sponsi circa no-  
men sponsa *L. 9. §. 1. ff. de contrab. Empt. vel circa ejusdem bona*  
A 3 cor-

corporis, animi aut fortunæ *C. un. caus. 29. quest. 5. matrimo-*  
*um non vitiat. Vid. Grot. Libr. 2. C. 11. §. 6. n. 1. & C. 12. §. 26. n. 1. & cap.*  
*13. §. 4. n. 1. item. L. 3. C. 23. §. 4. add. Dn. Puffendorf L. 3. C. 6. §. 6. & 7.*  
*Dn. Becm. in Conspect. Moral. cap. 4. p. m. 43. & in Conspect. Polit. C. 6.*  
*p. m. 24.* Quoties tamen errori causam dedit dolus alterius,  
qui mecum paciscitur, toties indistinctè negotium nullum  
est, non obstante quod circa accidentalia saltim erratum sit.  
*arg. eorum, quæ tradit Besold. Consil. Tubing. p. 5. Conf. 237. n. 55. & 89.*  
Unde apparet, quod ob virginitatis errorem, sive substantia-  
lis sive accidentalis esse dicatur, maritus uxorem justè repu-  
diare possit. *Vid. Carpz. Jurispr. Eccl. L. 2. d. 187. n. 4. C. un. Caus. 29.*  
*q. 1. Brower. de jure connub. L. 1. C. 8. n. 14 & 18.* Illud tamen adhuc  
notandum, quod ignorantiam & errorem eò casu, quo excu-  
sare debet, justam esse oporteat atque probabilem, quia, si  
vincibilis, crassa vel sapina fuerit, nemini patrociniū præ-  
stare potest.

#### Th. VIII.

Hæc de ignorantia & errore: succedit *dolus*, cujus à Jctis  
recepta distinctio in *dolum formalem* seu ex proposito: & *do-*  
*lum materiale* seu ex re *Vid. L. 26. ff. de verb. oblig. ibique DD.* e-  
tiam hoc loco suam utilitatem habet, ut scilicet ille conven-  
tionem vitiet ob consensum non purum sed suspensum sub  
conditione, si res ita se habet, quæ tamen re ipsa non existit,  
vel potius ob prohibitionem legis, quæ dolosam alterius læ-  
sionem expressè vetat, & consequenter pactum annullat.  
*Conf. Grot. L. 2. C. 17. th. 17.* hic autem, quo nimirum citra paci-  
scentium culpam in re ipsa inæqualitas occurrit, ad instar er-  
roris circa Accidentalibus, ad evitandam litium multitudinem,  
conventionem non irritam reddat, sed tantum eandem quan-  
doque ob nimiam læsionem rescindendam svadeat. *Conf. Grot.*  
*L. 2. C. 12. th. 26. n. 1. & DD. ad L. 2. C. de Rescind. vendit.*

#### Th. IX.



Th. IX.

Quibuscunque igitur casibus, ut ex diverticulo in viam revertamur, ob ignorantiam, errorem aut dolum, iis etiam ob easdem causas jusjurandum subsistere nequit. Nec quicquam in contrarium facit exemplum juramenti Israelitarum Gibeonitis servati, in quo tamen se maxime fundant à nobis dissentientes Brochman in *System. Theol. tom. 2. C. 9. q. 5.* Andr. Osiand. in *C. 9. Jos. lit. B.* Balduin. in *Cas. Consc. cit. C. 9. Cas. 14.* Dunt. in *Cas. Consc. C. 10. §. 1. q. 29.* siquidem istud ideo probandum non probat, quia sive circa substantialia, sive tantum circa Accidentalibus Ebræos errasse dixeris, utroque casu pactum eorundem, eique annexum juramentum naturaliter atque per se non nisi validum esse, poterat. Nam etiam si quidam errorem circa substantialia, qui alias conventionem ipso jure nullam reddit, intervenisse existiment: ille tamen vincibilis adeoque inexcusabilis fuit, cum utique Israelitæ, si non alio modo, consulendo tamen Deum melius resciscere potuissent. Quod dum temerè non fecerant, meritò postmodum quasi in ignorantia suæ satis supinæ pœnam fidem Gibeonitis juratò datam servare tenebantur, ita ut postmodum, ubi Saulus eandem imprudenter violaverat, Deus, vindex perfidiæ, populum suum Davidis tempore gravissima fame affligeret *II. Sam. XXI.* Qui vero Israelitas tantum circa Accidentalibus errasse dicunt, hi sicuti rectè sentiunt: ita merito ea propter pactionem & juramentum eorum ipso jure validum fuisse opinantur. Non autem substantialem sed Accidentalem tantum seu concomitantem Israelitarum fuisse errorem vel inde constat, quod *ex eorum parte* dubium sit, annon etiam sine eo juraturi fuissent; *Ex altera parte* autem Gibeonitæ ex Ebræorum juramento atque solertia sua nihil amplius consecuti sint, quam quod obtinuissent, si desiderium suum Principibus populi apertè proposuissent. Quandoquidem tantum occulta viam pacem quærebant, quam etiam apertam impetrare valuissent, dum Israelitæ eos saltem gentes, quæ armis libertatem defenderent, funditus extirpare;   
illas



Illas verò, quæ sese statim, ut Gibeonitæ fecerunt, submitte-  
rent, ad tributariam conditionem recipere iussi fuerunt. Ut  
enim non licitum fuit uxorem ducere de alienigenis, licebat  
verò si patriam desereret superstitionem; ita clementia etiam  
hoc in casu locum adhuc habuit suum. *Vid. Grot. Lib. 2. C. 13. n.*  
*4. ibique Beat. Dn. Ziegl. & Dn. Job. Adam. Osiand. Dn. Puffendorf.*  
*L. 4. C. 2. §. 7. Brunnem. in Jur. Eccles. L. 3. C. 5. §. 1. Frantz. II. Resol. 4.*  
*n. 6. Mastert. de Just. LL. Rom. Lib. 2. dub. 23. vers. opponens. Ant. Matth.*  
*de crimin. Rubric. de Perjur. n. 5.* Tametsi verò, quod porro no-  
tandum, præsentis casu Gibeonitarum dolus intervenisse dica-  
tur, hic autem secundum superius dicta etiam illum pactum,  
ubi tantum circa Accidentalibus erratum fuit, toties irritum red-  
dat, quoties huic occasionem dedit: attamen iste dolus non  
proprie talis & malus seu cum malitiosa intentione alterum  
lædendi conjunctus; sed tantum dolus bonus seu quædam  
salutis suæ invigilandi astutia fuit, quæ neque Gibeonitis vi-  
tio verti, neque mendacii proprie dicti nomine venire potest.  
Quis enim reprehendat, si quis ficto sermone vitam suam,  
servare fategerit ab hoste ad interuersionem grassante? Dein  
neque damnum proprie dictum istâ astutiâ illatum fuit Isra-  
elitis, adversus quos ab interitu saltim Gibeonitæ se conser-  
vare studuerunt, hoc ipso facientes, quod omnibus licet, nec  
hostium jura læsit. Quid enim homini decedit, si sanguinem  
alterius effundere non concedatur, quem de cætero omnibus  
rebus spoliare, & in perpetuam abstrahere servitutem potest,  
ita exarmatum ac debilitatum, ut insurgere in ipsum postea  
nequeat. *Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 7.*

Th. X.

Vidimus itaque juramentum ex intellectu & voluntatis  
defectu nullum, dubio adhuc fluctuantes animo, annon eti-  
am huc jusjurandum metu extortum referri debeat? Nega-  
tivam quidem defendunt Grotius & alii, hac potissimum ra-  
tione moti, quod dispar sit ratio ejus, quod metu; ab illo, quod  
per errorem aut propter dolum alterius promissum est, cum  
illic,

illic, etiam si non prorsus liber, attamen ob salvam ad-  
huc minoris mali electionem verus consensus ad sit, hinc  
autem consensus plane deficiat, dum non nisi sub ista  
conditione contractum est, si circumstantia ita se habe-  
ant, quales ex opinione promittentis fuerunt supposi-  
tae. *Vid. Grot. l. 2. c. 13. tb. 14. § 15. Balduin. de Cas. Consc. l. 2. c. 9.*  
*Cas. 12. Ames. l. 2. c. 22. §. 27. Brochman. in system. Theolog. tom. 2.*  
*c. 9. q. 5. Busenb. in Theolog. moral. l. 3. tr. 2. c. 2. dub. 5. Resp. 1. n. 4.*  
Verum & pacta metu extorta, etiam si jurata sint, modo  
gravior, & ex causa injusta metus ad fuerit, naturaliter  
non subsistere, verius est, tum propter violentam extor-  
sionem, quæ nequis ex delicto suo commodum habeat,  
nihil juris in extorquentem transferre potest: tum quia  
promissario nec jus malum nobis intendendi, adeoque  
nec illud, quod promissimus, accipiendi facultas com-  
petit: tum quia juramentum non debet esse vinculum  
iniquitatis: tum quia metu percussus extra potestatem  
suam positus censetur: tum quia sacrificium, nisi libe-  
rum ac voluntarium sit, Deo non placet. *I. Chron. XXIX.*  
*9. tum quia, ut omnia paucis complectar, in metum*  
*incutiente jus juramentum exigendi; In persona juran-*  
*te verò animus se obligandi deficit. Vid. Dn. Becman. in*  
*Consp. Polit. c. 6. p. m. 25. § in Consp. moral. c. 7 p. 74. Profecto*  
*eleganter admodum hanc in rem differit Henniges ad*  
*Grot. c. 2. C. 13. tb. 14. ubi non levis verò, inquit, fortasse du-*  
*bitatio inde oritur, num Deus etiam velit impleri ea juramen-*  
*ta, ad que prestanda quis per vim aut metum fuit coactus, &*  
*ad quorum relaxationem ipse etiam exigens est jure adstri-*  
*ctus? Profecto enim videtur, cum Deus non approbet iniqui-*  
*tatem hominum, voluisse metu promittentem juramenti reli-*  
*gione solvere, quod sibi non nisi vitiosè datum erat. Quis e-*  
*nim nescit, quam periculosi exempli sit, malitiae hominum im-*  
*tantum indulgere, ut metu majoris mali juramento tan-*  
*quam certissimo vinculo possint meticulosos, si non directè, sal-*  
*B*  
*tem*

dem per obliquum ad implenda promissa adigere, ad quæ extra  
juramentum alias nemo teneretur: sic fides Deo data ancillare-  
tur nequissimis latronum cupiditatibus. Paulo aliis quidem  
verbis, sed sensu ferè eodem Dn. Puffendorf. L. 4. C. 2.  
§. 8. unde, inquit, constabit mihi, Deo probari, ut ego inno-  
cens me bonis meis spoliem & illa in impium nebulonem con-  
feram, ne ille gratis sceleratus fuerit? Ne vero Numinis honor  
minoris deum sit apud latronem ejusmodi juramento neglecto,  
non est metuendum; cum is ipso vitæ genere satis ostendat,  
quanti Deum faciat. Si quis tamen sit, qui evitando simpli-  
ciorum scandalo & ne videatur nomen Dei, quod inter peri-  
cula profuit, in tutum subductus irreverentius habere, pecuniæ  
promissæ jacturam facere velit; satius utique videtur, Deoq;  
acceptius, eam in pias causas erogare, quam nebulonis alicujus  
malitiam eadem alere. Illud tamen hic bene notandum,  
quod si causa metus justa fuerit, vim obligandi non  
tollat, exemplo promissi metu pœnarum publicarum  
facti. Unde si rapiendus ad ultimum supplicium puel-  
læ intercedenti matrimonium promiserit, dimissus ean-  
dem necessario ducere debet. Cœterum ideo & pacta  
publica, licet metus causâ inita, valere censentur, quia  
omne, quod jure belli agitur, existimatur justè agi,  
cum nullus alias bellorum finis esset. Grot. l. 3. c. 19. §. XI.  
Dn. Becm. in Consp. moral. cit. p. 74.

### Th, XI,

Sequitur nunc, ut contemplemur juramentum ex  
defectu liberæ de rebus suis disponendi facultatis ipso  
jure nullum. Toties autem ex hac causa jusjurandum irri-  
tum est, quoties ab illo, cujus potestati subjecti sumus, non ratum  
habetur. Cum enim inferiorum actus ex arbitrio su-  
periorum dependeant; idcirco actus, qui improbante  
superiori suscipitur, illicitus erit. Vid. Num. XXX. 4. Grot.  
l. 2.

l. 2. c. 13. th. 20. n. 2. ubi, *Nam inferior*, inquit, *quæ inferior, obstringere se non potuit, nisi quatenus superiori id placitum esset, ampliorem enim non habebat potestatem.* Quod ipsum ut tantò clarius elucescat, fundamenti loco in genere hoc notandum: *Quo casu inferiorum obligationes & consequenter etiam juramenta iuribus superiorum officiant, eo casu sunt ipso jure nulla.* Quemadmodum ergò juramentum, quod in se nullo laborat vitio, atq; super re liberæ jurantis dispositioni subjecta factum fuit, a superiori rescindi non potest. *Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 24. Conf. Grot. l. 2. c. 13. th. 20. n. 2.* ita e contrario ubi juratum fuit super rebus & actionibus, quæ directioni superioris subsunt, juramentum à consensu expresso aut tacito superioris vim mutuabitur, qui illud irritum declarare potest, ubi idem ipsi displicuerit. Atq; hoc omnium maximè locum habet in Principibus, ad quorum voluntatem per subjectionem etiam juratam libera subditorum de rebus suis disponendi facultas restricta est. *Vid. Balduin. in Cas. Consc. l. 2. c. 9. cas. 5. n. 2. & cas. 13. in fin. Layman. in Theol. moral. L. 4. tr. 3. c. 9. §. 4. Dürr. in Theol. moral. part. commun. c. 2. p. 2. n. 36.* Quemadmodum autem Princeps subditum tantum, non autem se ipsum, juramenti vinculo eximere potest; ita nec Pontifex Maximus proprium suum jusjurandum irritum declarare potest. *Grot. l. 2. c. 13. th. 3. ibiq; Beat. Dn. Ziegl. Gutierr. de juram. Conf. l. 1. c. 69.* quod tamen de illo affirmat Jesuita Heinrich Wagnereck. *in c. 27 X. de jurejur. & Flamin. Paris. de Resign. benef. l. 3. q. ult.* Idem, quod de Principibus respectu subditorum dictum, obtinet in Dominis respectu famulorum, quorum jusjurandum, proinde, quatenus debitis servitiis obicem ponit, ipso jure nullum est. *Num. XXX. & seqq. Busenb. in Theol. moral. l. 3. tr. 2. c. 3. dub. 6. a. 1. n. 1.* Nec aliud statuendum de parentibus, quibus liberi in familia existentes jura-

B 2

men-

mento suo præjudicare nequeunt. *Num. XXX. 4. Setser. de juram. l. 1. c. 13. n. 6.* exemplo sponsaliorum, quæ, ubi citra consensum parentum inita sunt, declarantur pro nullis, etiamsi juramentum accesserit. *Job. Gerhard. in Hsag. Loc. Theol. Rubr. de Conjug. tb. 13. q. 8. Carpzov. in jurispru. Eccles. lib. 2. d. 40. & 58. Struv. Ex. 29. §. 23.* alias enim liberi vovendo & jurando parentum potestatem potuissent reddere inutilem *vid. Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 24.* Porro quemadmodum nec uxor marito & hujus in se potestati *Num. XXX. 7. Grot. l. 2. c. 13. tb. 20. n. 1. & 2.* ita nec maritus uxori & ejus in corpusuum Dominio jurisjurandi vinculo præjudicare potest. *Busenb. in Theol. moral. l. 3. c. 3. dub. 6. a. 2. n. 2.* Unde & votum castitatis ab uno ex conjugibus invito altero nuncupatum ipso jure nullum est. *C. Agathosa. Caus. 27. q. 2. cap. Quidam intravit. & cap. Cum. sis. X. de Convers. conjug.*

## Th. XII.

Quando autem hac ratione ob superiorum displicentiam inferiorum rescissum fuerit jusjurandum, nullum plane perjurii periculum metuendum est. Nam, à subjecto approbatio superioris tanquam conditio fuit supposita. Neq; superior hic rescindendo peccat, quia suo jure utitur, dum non concedit, ut actu subjecti potestas sua aliquid detrimenti capiat. *Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 24.* Quod tamen limitandum videtur, nisi absq; sufficienti causa superior inferioris juramentum irritum esse velit. *Vid. Num. XXX. vers. pen. Brunn. in Jur. Eccles. l. 3. c. 5. §. 14.* Cæterum nil interest, num contra præcedentem superioris prohibitionem juratum sit, aut postquam juratum est, superior vetet, ne impleatur. *Grot. l. 2. c. 13. tb. 20. n. 2. Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 24. Laym. in Theol. moral. l. 4. tr. 3. c. 8. n. 4.* Interim tamen





men illud præcise requiritur, ut quis in ea, super qua juratum est, materia sit superior *Ames. de Consc. l. 4. c. 22. q. 9. n. 35. Busenb. cit. tr. 2. c. 2. dub. 7. n. 5. & c. 2. dub. 6. a. 1. n. 3.* Unde si virgo certam bonorum partem forte pauperibus juratò destinaverit, hoc juramentum, contractis postmodum nuptiis, à marito annihilari nequit. *Fagundez. ad Decal. l. 2. c. 36. n. 24. Svarez. ad Decal. Tom. 2. tr. de Voto. l. 4. c. 4. n. 16.*

### Th. XIII.

Atq; hi fuerunt potissimi casus, quibus juramenti nullitas ex primo fonte, videlicet ex defectu in persona jurantis promanavit. Sequitur nunc inhabilitas rei, ad quam ob impossibilitatem ejus jurisjurandi vinculo nemo adstringi potest. Et quidem de re *naturaliter impossibili* juramentum non valet. *Grot. l. 2. c. 13. th. 8.* Nisi forte non in perpetuum & simpliciter, sed tantum pro tempore aut ex suppositione talis fuerit, quippe tunc obligatio usq; ad possibilitatis eventum ita suspenditur, ut jurans, quo juratum possibile fiat, omnem, quam potest, operam dare debeat. *Grot. l. 2. c. 13. th. 9. ibid; Dn. Kulpis* Plane qui factum alienum juratò promittit, ad aliud regulariter non obligatur, quam ad exactissimam diligentiam in interpellando debitore. *Gen. XXXIV. 4. & 4. Gutierr. de juram. Conf. l. 1. c. 44.* Quod si autem res, quæ juratò promittitur, sit *moraliter impossibilis*, hoc *vel exinde fit*, quod res etiamsi non sit illicita, attamen majus bonum morale impediatur, atq; tunc juramentum subsistere nequit. *Grot. l. 2. c. 13. th. 7. ibid; Beat Dn. Ziegl. Conf. Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 10.* vel etiam ideo, quod rei jurata promissio juri repugnet, *tum disponenti seu dispositioni legis; tum disposito seu juri ali-*

aliorum. Quid autem in utroq; casu circa jusjurandum obtineat, distinctè nunc expediendum est.

Th. XIV.

*Jusjurandum super re lege Divina tum connata id est jure naturali; tum revelata, E.g. jure divino morali aut positivo prohibita præstitum est ipso jure nullum. Juramentum enim non debet esse vinculum iniquitatis, & propter quod factum jurans amissurus est gratiam DEI, ad illud faciendum sub amissione gratiæ divini alteri securitatem præstare nequit. Id enim erit reverentiâ DEI velut in ipsius ignominiam abuti, Grot. l. 2. c. 13. th. 6. ibiq; Osiand. Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 9. Unde tametsi uxor jurato promiserit priori marito, quod non velit denuo nubere, nihilominus tamen ipsi licitæ sunt secundæ nuptiæ, cum hæc promissio in effectu nihil aliud sit quam votum perpetuæ continentiæ, quæ uti cum periculo animæ & corporis conjuncta est; ita meritò rejicitur. Carpz. in Jurisprud. Eccles. L. 2. d. 171. Nec obligat juramentum, quod tanquam contra bonos mores præstitum est de artificio honesto & generi humano admodum utili aliis non aperiendo, si illud aliter aliis innotescere nequeat. Dn. Puffend. l. 4. c. 2. n. 10. Balduin. in Cas. Const. l. 2. c. 9. Cas. 8. Imo si quis jurasset, se testimonium perhibere nolle, non tamen excusatur, sed juramentum nullam est, eique jurans propria autoritate sine absolutione contravenire potest. Vid. Gail. L. 1. Obs. 100. n. 3. seqq. Lancellot. Instit. Jur. Can. L. 3. tit. 14. §. 7. ibique Beat. Dn. Ziegl. Illud tamen hic observandum est, quod, si forte actus non a jurantis, sed tantum accipientis parte juri Divino aut æquitati naturali contrarietur, juramentum de desuper præstitum ubique servandum sit. Mev. in Prodom. Jur. Gent. inspect. 2. n. 48.*

Th. XV.

Neque valebit sacramentum de rebus jure humano prohibitis, quia privatorum voluntatem non oportet plus virium habere, quam legem publicam, cum alias quilibet in fraudem ejus, & ne illâ obligetur, facile non sine magno Reipubl. detrimento juraret. Quod tamen fallit, si quid tantum intuitu contrahentium Lege civili prohibitum sit, idque vel *in odium creditoris*, vel *in favorem promittentis*. Quantumvis enim, priorem casum, quod attinet, iniquus creditor juramentum recipiens eapropter, quod delinquendo Magistratus auxilio se indignum reddat, in foro soli exinde ad solutionem, neque jurantem neque heredem ejus compellere, possit *Grot. l. 2. c. 13. th. 17. & 20. Layman. in Theol. moral. l. 4. tr. 3. c. 8. n. 2.* attamen in foro conscientiae juramentum hoc casu non plane inefficax esse pie & juste statuunt *Setser de juram. l. 2. c. 11. & Gutierr. de juram. Conf. l. 1. c. 10. n. 5.* tum quia ad evitandum perjurium potius observandum, quam pro nullo declarandum est *arg. Exod. XX. 7. Num. XXX. 3. Levit. XIX. 12. Deut. V. 11. Leg. 1. ff. de Pact.* tum quia ex juramento non homini tantum, verum etiam Deo quaeritur obligatio, quam creditoris, cui juratum, iniquitas, si aliud non obstat, suffraginare aut penitus tollere nequit. *Grot. l. 2. c. 13. th. 14. & l. 3. c. 1. th. 9. Dn. Kulpis ad Grot. cit. l. th. 4. vid. omnino Gonzal. in C. Contingit X. de jurejurand. n. 10. & in C. debitores. 6. eod. n. 4.* Unde & poenae conventionalis legitimum usurarum modum, excedentis promissio, juramentum si accessit, omnino valida erit. *Beat. Dn. Ziegl. ad Lancell. Instit. jur. Can. l. 4. tit. 7. §. 6. Frantzk. Libr. II. Resol. §. num. 96. Brunnem. ad L. unic. Cod. de sentent. qua pro eo quod interest. n. 14.* Nec aliud propter rationis paritatem dicendum videtur de jurejurando Davidis, quo Simeï securitatem & vitam pol-

pollicitus fuerat. II. Samuel. XIX. 23. vid. Dn. Puffendorf. L. 4. C. 2. §. 13. in fin. Balduin. in Cas. Consc. l. 2. c. cas. 13.

Th. XVI.

Sed et, si altero casu, ubi quid Princeps tantum in promissoris favorem prohibuit, hic autem nihilominus ad illud sese religionis vinculo adstrinxerit, valida exinde obligatio nascitur in conscientia jurantis. *Setser. de juram. l. 2. c. 1. §. 16. Layman. in Theol. moral. l. 4. tr. 3. c. 6. n. 8. Dn. Textor. de J. G. c. 27. n. 58. seqq. Grot. l. 2. c. 13. th. 20. in fin. ibiq. Dn. Simon.* Cum enim hic leges actum non propter jus tertii alicujus aut ob utilitatem publicam, sed tantum in commodum ipsius contrahentis prohibeant, adeoq; nec inevitabilem necessitatem parendi inducant sed nudum humanæ infirmitati consilium dederint; id circo poterit quilibet favori pro se introducto renunciare, atq; valebit tunc actus juratus eo modo, quo naturaliter citra legem humanam fuerat valiturus. *Grot. Cit. loc. Dn. Puffend. cit. l. §. 19. in fin.* Quod verum est, etiam si (1.) hoc casu lex prohibitiva actum contrarium disertè pro nullo & irrito declaraverit, cum talis dispositio actum juratum non comprehendat, nisi nominatim & hujus facta sit mentio. *Carpz. in jurispr. Eccles. l. 2. d. 58. n. 4. Covarr. in C. Quamvis p. 1. §. 3. II. 21. aut licet (2.) actus in favorem contrahentis non simpliciter prohibitus, sed tantum sub lege certarum solennitatum permissus sit. Cardinal. Tusch. Concl. 524. n. 42. §. Conclus. 528. n. 15. 40. §. 71. Setser de juram. l. 1. c. 25. n. 117.* Quod si tamen vel ejusmodi solennitates formam actus intrinsecam constituent, adeoq; salvo eodem abesse non possint, ut autoritas tutoris in contractu pupilli. *Vid. Setser de juram. l. 2. c. 14. Carpz. part 3. Const. 1. def. 29. n. 9. vel alias aliquid non in solum partis*

tis favorem, sed simul etiam in commodum tertii aut utilitatem publicam dispositum sit, actus contrarius, ne accedente quidem juramento, subsistere potest. *Everhard. Loc. legal. loc. 130. num. 48. Card. Tusch. cit. l. Unde testator septenario testium numero, sicubi observandus veniat, uti non simpliciter.* *Manz. de testam. tit. 4. quest. 1. n. 55.* ita nec jurato renunciare valet. Nam, quod obiter notandum, hæc firmo satis nititur fundamento Regula: *In quocumq; negotio non simplex, in eo nec jurata renunciatio locum habet.* Utrobique enim cum partis favore tum tertii alicujus, tum Reip. interesse concurrere potest. Uti exemplum habemus in milite renunciante juri se excusandi à tutela. *Quoties ergo renunciatio nec principis dispositioni nec utilitati Reip. aut juri tertii, E.g. ordini, præjudicat, toties illa licita est, & consequenter juramentum de super præstitum ipso jure subsistit.* Hinc etiam si privilegium fori Clericorum ordini datum sit: attamen, cum non ut universo, sed ut singulis competat, adeoque unus alterve Clericus renuncians & jurisdictioni alienæ se subjiciens non de jure publico, sed de jure suo proprio detrahat; idcirco talis renunciatio in Ecclesiis nostris per se valida est, multo magis autem, si religionis vinculo confirmata fuerit. *Vid. Dr. Schiltner. Instit. Jur. Canon. l. 1. tit. 18. §. 9.*

### Th. XIIX.

Non tantum autem iis casibus, ubi res, super qua fuit juratum, legibus prohibetur; Verum etiam tunc, quando actus tertio alicui præjudicat, jusjurandum ipso jure nullum est. Quod tot modis contingere potest, quod reperiuntur tam veræ, quam fictæ personæ, quarum, ne juratò quid aliud polliceatur, interest. *Vid. Genes.*

C

*Genes. XXIV. 8. Busenb. in Theol. moral. l. 3. sr. 2. c. 2. dub. 6. 4. 2.* In presenti tamen unum alterumve tantum exemplum attulisse sufficiat. Ita ob interesse Reip. invalidum est juramentum de non manifestando crimine adhuc perpetrando *Sanchez. Conf. moral. l. 6. c. 1. dub. 29.* Et ex eadem ratione, qui de officio publico nunquam obeundo juravit, nihilominus tamen postmodum illud invito sibi delatum salva conscientia suscipere potest. *Bald. Cas. Consc. l. 2. c. 9. Cas. 8. in fin. Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. fin.* Sed & privati alicujus interesse sapius obstat, quo minus juramenta nostra subsistant. Unde si bina sponsalia publica de presenti contracta fuerint, priora ob interesse prioris sponsæ præferuntur posterioribus, etiamsi his Sacramenti vinculum accesserit. Nec validum est jusjurandum Parochiani de sacra cœna non amplius à Pastore suæ diœceseos recipienda, si non ob alias plures, attamen propter hanc unicam rationem, quod tali casu pastor ordinarius, qui deferitur, cum scandalo Ecclesiæ suspectus reddatur, quasi officium suum non ritè administret, qua tamen in re injuria ipsi fieri potest. *Vid. Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. def. 290.*

Th. XIIX.

Vidimus itaq; casus, ubi juramentum partim *ob defectum in persona jurantis*, partim *ob inhabilitatem rei*, super qua juratum, vi & efficacia obligandi destituitur; Superest, ut paucis dispiciamus, quomodo etiam *ob neglectam formam* irritum sit, nec sustineri valeat. Quemadmodum autem forma jurisjurandi alia *essentialis* est; alia *Accidentalis*: ita non observata priori (nam de posteriori deinde dicam) juramentum nullum esse, nemo

nemo dubitat. Tametsi vero illa in eo consistit, ut DEUS invocetur, tanquam testis & vindex perfidiæ. *Grot. l. 2. c. 13. th. 10.* attamen juramentum à Gentili per falsos Deos conceptum non statim nullum est. Quantumvis enim ideo non ex se obliget, quia non verus sed falsus DEUS invocatus est: nihilominus tamen eapropter validum est, quod ex conscientia erronea proficiscatur, & DEUS verus, si pejeratum, illud in suam ignominiam factum interpretetur, quoniam qui ita sciens pejeravit, Divinæ Majestatis reverentiam, quantum in se fuit, graviter violavit. *Vid. Grot. cit. loc. th. 12. ibiq; comment. & Dn. Puffend. l. 4. c. 2. §. 4.* Nec porro statim pro inefficaci habendum est illud juramentum, quod non per DEUM, sed tantum creaturas aliquis præstitit *Grot. cit. Loc. th. 11. n. 1.* cum forma jurisjurandi non desit, sed aliis tantum verbis enunciatur. *Vid. Grot. cit. loc. th. 10.* Tametsi enim per creaturam, quatenus ut objectum juramenti & in se consideratur, neutiquam jurare licet, quia est idololatricum: attamen eatenus illud permittitur, quatenus creatura in juramento ut signum consideratur atq; effectus seu correlatum objecti, videlicet Dei. *Vid. Grot. cit. loc. th. 11. ibiq; Beat. Dn. Ziegl. & alii ad quos brevitas studio quoad hanc materiam benevolum lectorem remittimus.*

### Th. XIX.

Sequitur tandem forma juramenti Accidentalibus, quæ pro diversitate temporum & locorum admodum variat. Namque olim Gentiles juraturi modo aras contingebant: Unde alicubi Virgilius:

*Tango aras, mediosque ignes & Numina testor,*  
modo manu tenebant lapides, unde formula ista nata: Jo-  
vem

vem lapidem jurare. *Vid. Erasmi. Chiliad. L. 2. Cent. 6. Adag. 33.*  
Judæi vero uti olim manū ponebant sub femore illius, cui  
jurabant, ideo forsitan, quod inde proditurū esset semen  
Patriarchis promissum *Genes. XXIV. 2. & XLVII. 29. ibique*  
*Osiand. Conf. setser de juram l. 1. c. 15. n. 12.* ita postmodum  
de jure Saxonico veteri in *Nichtsteig Landrechtens. Cap. 50.*  
alia adhuc solennitas circa Judæorum juramenta requi-  
rebatur. Denn daselbsten stehet/ wann ein Jud schweren  
soll/ so soll er stehen auff einer schweinen Haut/ die Junge  
hatt gehabt/ binnen vierzehnen Nächten/ die Haut soll man  
auffschneidem bey dem Rücken und sie breiten auff die  
Zißen/ da soll der Jud auff stehen barfus/ und nicht anha-  
ben/ den ein Niederkleid/ und Hårintuch umb sich/ also ist  
sein Recht. *Vid. Wehner in observ. pract. sub voce Jud Sic*  
Christiani olim tactis Evangeliiis vel in genere sacris  
literis jurare solebant. Quæ ceremonia non tantum  
in jure Canonico *Vid. C. Hortamur. 20. Caus. 3. q. 9. C.*  
*Quoties. 9. C. 1. q. 1.* verum etiam Civili *vid. L. Rem non no-*  
*ram 14. C. de judic. L. 2. C. de jurejur. propt. calumn. Novell. 9.*  
*Nov. 123. Cap. 7.* fundata, & teste *Comineo Libr. 6. Com-*  
*ment. inter Edvardum Angliæ & Ludovicum Galliæ*  
*Regem inducias paciscentem observata est.* Sunt autem  
verba ejus sequentia: *Quum assensisset ille, ponitur in*  
*medium liber sacratus, & alio quodam religiosa. tis ambo su-*  
*per imponebant manus & sanctissimo jurejuranda pollicentur,*  
*omnia se bona fide esse servaturos.* Hodie verò apud Pro-  
testantes plerumque masculi erectis prioribus tribus  
digitis dextræ, fœminæ autem posita dextra ad pectus  
sinistrum jurare solent *Vid. Balduin. in Cas. Conf. L. 2. C. 9.*  
*in fin.* Non tantum autem varii ritus, sed diversæ quoq; pro  
diversa temporis, loci & personarum ratione jurandi  
formulæ ad accidentalem jurisjurandi formam pertinent.

Ita



Ita exempli gratia Judæi ad ductum Ordinationis Camera Imperialis sequenti modo jurant. Adonay, ein Schöpffer des Himmels und des Erdreichs und aller Dinge / auch mein und derer Menschen / die hier stehen. Ich ruffe dich an durch deinen heiligen Namen auff diese Zeit zu der Wahrheit / daß ich auff die an seiten Fiscalis wider mich eingebrachte Articul die reine Wahrheit unzerholen vorbringen / und mich keiner Falschheit oder Betrüglichkeit gebrauchen / noch in zweyfachen oder verdeckten Verstande anders antworten / als die Sache an sich selbst ist und verhält / ohne alle Gefährde / Argelist und Verborgligkeit: Also bitte ich mir auch / Adonay, zu helfen und zu bestätigen die Wahrheit. Wo ich aber nicht recht oder wahr habe in dieser Sache / sondern einige Unwahrheit Falsch oder Betrüglichkeit darinnen gebrauchet / so sey ich he-ram und verfluchet ewiglich / wo ich auch nicht recht oder wahr habe in dieser Sache / daß mich denn übergeshe und verzehre das Feuer / das Sodoma und Gomorra übergienge / und alle die Flüche / die in der Torah geschrieben stehen / und daß mir auch der wahre Gott / der Laub und Graß und alle Dinge geschaffen hat / nimmermehr zu Hülffe noch zu statten komme in einigen meinen Sachen und Nöthen. Wo ich aber wahr und recht habe in dieser Sache / so helffe mir der wahre Gott Adonay.

Variat etiam pro varietate regionum formula Vasallitici die Lehnspflicht. Namq; Vasalli Marchici ita jurant: Ich huldige / gelobe und schwere / daß ich alles und jedes / was mir iso vorgelesen / und ich wohlverstanden habe / stedt /  
fest

fest und unverbrüchlich halten will; / ohn alle Gefährde; So  
wahr mir Gott helffe umb Christi Willen. In Saxonia verò  
dicunt: Als mir Gott helffe durch Iesum Christum/sei-  
nen Sohn / unsern Herren. In Ducatu Brunsvicensi &  
Lunenburgensi clausula talis adjicitur: So wahr mir  
GOTT helffe und sein heiliges Wort. In Silesia verò  
Nobiles jurant: Als mir Gott helffe / und sein heiliges  
Evangelium. Imo in nonnullis locis adduntur juramento  
fidelitatis execrationes, quales, cum Philippus de Croy,  
Dux Arschottanus de Castello Antvverpiensi fortiter tu-  
endo jurasset, Secretarius Hispanicus de Escovvedo se-  
quentia subjecit: So ihr das thut / so wolle euch Gott  
helffen / wo aber nicht / so hole euch der Teuffel mit Leib  
und Seel. Darauß sagte ein jeder/Amen. Vid. Vitriar illu-  
strat. lib. 2. tit. 1. §. 20.

Th. XX.

Sed qualescunque tandem ritus in actu  
jurandi observari debeant, omnes tamen for-  
mam juramenti accidentalem tantum consti-  
tuunt, ita ut eorundem omissio iusjurandum  
non reddat ipso jure nullum. Cum enim vo-  
luntas paciscentium atque ipsius Dei tanquam  
testis & perfidiæ vindicis invocatio jam tum  
verum juramentum inducant, externæ solen-  
nitates autem ad substantiã ejus nil plane con-  
tribuant; idcirco nec earundem defectus iura-  
mentum vitiare potest. *Set ser. de juram. L. 1.  
C. 15. n. 22. Carpz. Decis. Illustr. par. 2. Decis. 199.  
n. 6.*

*n. 9. Schröt. Cas. Consc. 29. Textor in Synops. jur. Gent. Cap. 27. n. 41. Quod verum est non tantum, quando simplex & nudum iuramentum ad actus alicujus confirmationem requiritur, Tressaurus. Decis. 47. n. 8. verum etiam tunc, si non nisi adhibitis certis quibusdam solennitatibus præstari debet. Quo casu tamen iurans, uti in foro conscientiae validè obligatur; ita in foro externo invitus ad solutionem cogi non potest. Carpz. cit. loc. n. 22. Solennitatem enim à jure civili requisitam at forte omissam vitiare in foro externo actum, Jure consulti non legibus tantum comprobant, sed multis quoque exemplis illustrent, quæ in præsentis recensere nec temporis nec institutio permittit.*

Th. XXI.

Atque hæc sunt, de quibus ingenii exercendi gratia theses nonnullas, quamvis rudi Minerva, conscribere lubuit. Potuissent quidem plura, imo innumera ad uberiores thematis nostri declarationem afferri non tantum, verum etiam in utramque disputari partem: Ast quoniam non tractatum, sed tantum Aca-  
de-

1353.  
demicam dissertationem componere animus  
fuit: idcirco, ne constitutos limites hoc scri-  
ptum transgrediatur, eidem nunc colopho-  
nem imponi oportet. Nil ergo superest, quam  
ut supremo Numini æternas pro concessis vi-  
ribus gratias agam, humillimè precatus, ve-  
lit, qui à jurante invocatur, Deus omnes meas  
ita dirigere actiones, ut gloria ejus sit earundem  
perpetuus scopus atque

FINIS.








ULB Halle


3

005 361 702



VD 17







10248

26

1694 7

*Q. D. B. V.*  
**JUSJURANDUM  
IPSO IURE  
NULLUM**

*Dissertatione Morali*

Sub PRÆSIDIO  
**HENRICI ERNESTI Seebachs/**  
Jur. Utr. Licent.

*In Auditorio Majori*

Anno recuperatæ salutis M. DC. XCIV.

*Die 4. Januar. April.*

Placido Eruditorum examini  
fistit

**CUNO FRIEDERICH de Schierstedt**  
Nob. Magdeburg.

—————  
*VVITTEBERGÆ,*  
Prelo GODERITSCHIANO

